

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Aduocati f  
cum fonte primo

Ante omnia sapientes sunt ut faciant mala,  
bonum autem facere nesciunt (Ier. 4:22).  
Hi invisi terrae et caelo, utrique iniecere  
manus, impii in Deum, temerarii in sancta,  
seditiosi in invicem, aemuli in vicinos,  
inhumani in extraneos, quos neminem  
amantes amat nemo, et, cum timeri affectant  
ab omnibus, omnes timeant necesse est.  
Hi sunt qui subesse non sustinent,  
praeesse non norunt, superioribus infideles,  
inferioribus importabiles. Hi inverecundi  
ad petendum, ad negandum frontosi.  
Hi importuni ut accipient, inquieti donec  
accipient, ingrati ubi acceperint.  
Docuerunt linguam suam  
grandia loqui, cum operentur exigua.  
Largissimi promissores et parcissimi  
exhibitores,  
blandissimi adulatores et mordacissimi  
detractores, simplicissimi dissimulatores  
et malignissimi proditores.

Bernardus Claraeuallensis, *De  
consideratione ad Eugenium*, 4.2.4 (SBO 3,  
J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds.,  
p.452, ll.2-12).

Hii sunt qui docuerunt linguas suas loqui  
grandia cum operantur exigua,  
largissimi promissores, paucissimi  
exhibitores,  
diserti aduersus iustitiam,  
erudit pro falsitate,  
sapientes sunt ut faciant malum;  
bene autem facere nescierunt.

Bernardus libro de consideracione.

Hi sunt qui docuerunt linguas suas loqui  
mendacium,

diserti adversus iustitiam,  
erudit pro falsitate.  
Sapientes sunt ut faciant malum,  
eloquentes ut impugnant verum.

Bernardus Claraeuallensis, *De  
consideratione ad Eugenium*, 1.10.13 (SBO  
3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais  
eds., p.408, ll.15-17).